



Svmma Juris Canonici

Comprehensa Tribus Partibus In Qva Distincte Et Svccincte Explicantur,
quæ ad personas, negotia, & iudicia Ecclesiastica ex Canonum præscripto,
pertinent

Agens De Rebus Ecclesiæ Sacris, & profanis, earumque usu, acquisitione,
conservatione, & alienatione

Strein, Johann

Coloniæ Agrippinæ, 1658

Titulus III. De Tributis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61834](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61834)

tum, potest Ecclesia decimas exigere etiam ab emptore, quia habet rem ecclesie debitam, & à venditore, quia, quantum est in se, Ecclesiam defraudavit. De iniusto destructore idem iuris esto, siue in solo hærentes fructus destruxerit, siue separatos corruerit. *Innoc. & Abb. in c. Commissum h. t.* Compelletur enim satisfacere, & compensare diuinum: neque modo curamus, directâ an indirectâ actione expecturus sit Decimator, qui damnus passus est. *V. Az. l. 7. c. 35. Q. 5. Laym. l. 4. tr. 6. c. 1. nu. 4. Franc. Leo in thesau. fo. eccl. Par. 2. c. 27 & seq. Maria de iurisd. p. 2. c. 43. Barb. de officio Parochi c. 28. Covarr. l. præst. QQ. c. 35. Less. c. 39. c. 4. num. 15. Zypaus de iurisd. eccl. l. 1.*

c. 39. num. 3. Ceuall. de cognit. per viam viol. p. 56. Card. Lugo Conclus. 74. Suar. l. 1. c. 38. ubi etiam monet præteriti temporis decimas non solutas ab illis exigi posse, ad quos prædia emptione, donatione, testamento, aut alio titulo deueniunt. In hoc enim Tributis æquipantur, quorum onus in novum possessorem transit, ita ut etiam præteriti temporis neglecta tributa solvere teneatur. *Imperator ff. de public. & vestig. Imò cogi posse dominos prædiorum, ut non vendant, aut locant nisi illis, à quibus decimas sine contradictione percipere queat, Ecclesia, Abb. in c. Aliquib. h. t. tradit.*

TITULUS III.

De Tributis.

HUc nos materiae affinitas vocat. Sicut enim Ecclesia decimam fructuum partem, pro necessitate ministrorum suorum exigit, ita Reges, & Principes ad status sui, & reip. conservationem, de bonis & mercibus subditorum certam quotam decerpunt, maiorem, vel minorem, prout necessitas exigere videtur. Tributum vocamus, vel decimam laicalem. Aliqui enim decimarum duo genera faciunt, ecclesiasticarum, seu clericalium, & laicalium: quamvis alio etiam sensu laicales vocantur, quibus ab ecclesia concessis laici utuntur. *Yholof. l. 2. c. 20. Laym. l. 4. tr. 6. c. 1. Synonyma sunt Tributum, Censur, annua*

præstatio, annona militaris. *Card. Infebus Conclus. 391.*

§. I.

De causa & necessitate tributorum.

I. **M**ateriae & finis, propter quem tributorum, varietas facit, ut plura genera sint. Præcipua numerantur quatuor. *Primum* vocatur Censur, seu pensio, quam eives vicinim pro capite insignum subiectionis Principi solvunt. De hoc Pharisei Christum interrogarunt, liceretne Cæsari dare, an non? *Eundem*

dem Augustus Cæsar indixit, ut describeretur universus orbis. *Luca. c. 2.* Et quia in hoc modo superbia, quædam, & avaritia continetur, non valdè apud Christianos Principes in usu est, quemadm. *Dom. Sæc. annotavit l. 3. Q. 6. a. 7.* Secundum generale nomen sibi approprians Tributum dicitur, à tribuendo. Alii stipendium vocant, quia olim pro militum mercede colligebatur. Differt igitur à censu ratione finis, & materiæ, quia ex terræ fructibus in communem utilitatem cedebat. Virtusque mentio fit in *l. ager ff. de verb. & rer. signif.* Tertium genus est Vectigal, à vehendo, & portorium à portando, vel portu seu portore, cui exhibetur pro mercibus, quæ inferuntur negotiandi causa. Finis est, pontium, mutorum, aliorumque publicorum operum conservatio, & reparatio. *Molina Tr. 2. Disp. 662.* Quartum pedagium, etiam ex mercibus solvendum, sed alio fine, ut nimirum viæ & itinera ab infestis prædonibus libera serventur. Guidagium vocant, quod ducatum in via præstanti pro mercede datur. Aliis alibi nominibus utuntur, pro consuetudine, & linguarum diversitate. De quo *V. Sylv. in V. Gabella.* Ab his *Collecta* distinguuntur à quibusdam (tallia, præstatio stricta) quæ à Solis civibus, & incolis solvitur extraordinariè, & pro modo ac quantitate annuor. reddituum, ita ut quo quisque ditior est, eò plus de bonis suis contribuat. *Fill. Tr. 16. num. 103.*

II. Angaria ab angendo frequens apud Veteres Canonistas nomen iniqua & violenta exactio appellatur, onus personale, quod absque damno honorum temporarium viribus corporis præstari potest. Pa-

rangaria, vel perangaria tum personale tum reale onus. *l. 2. ff. de mun. rib. & honorib. Gloss. in l. neminem C. de sacros. eccl.* Secundum alios Angaria est obsequium personale propriis sumptibus præstitum. *c. Non minus. de immun. eccl.* Parangaria servitus personarum & rerum, quasi perfecta Angaria. Secundum alios Angaria est merè personale onus: parangaria simul personale, & reale. Sed hæc negligi posse, cum ipse non neglexisset, bene monet *Sylv. l. cit.* Illud ergo perquiramus, quando census, vel exactio sit iniusta & Angariæ titulo digna. *Molina Tr. 2. de tributis disp. 661. c. fin.*

III. Pensio vel tributum uno ex his 5. modis iniuste constitui & exigi potest. 1. Si desit legitima potestas in exigente. 2. Si non servetur æqualitas, & plus æquo graventur subditi: ut si ex rebus ad proprium usum comparatis exigatur. 3. Si non necessitate & utilitate publica, sed propriâ sui ipsius Princeps petat. 4. Si simulatè aut fictè, V. g. pro reparatione murorum, cum non indigent, vel si indigent, non reparantur. 5. Si imponatur tam super his, quæ invehuntur negotiationis causa, quam pro aliis. *l. omnium. C. de vectigal.* Vectigal enim mercium onus est, non mercatorum, ut de qualibet repostulentur. *Gottrofr. in Novis.* His positis dico

IV. Quando tributum, aut vectigal iniuste constitutum, & impositum est, iniuste negatur, quæque d. fraudantur, ad restitutionem tenentur. *c. Omnis. de Cessib. ubi S. Aug. ex c. 13. ep. ad Rom.* Et vos, inquit, subditi esse debetis. Idè enim tributa præstatis quia hæc est probatio subiectionis. Et ratio manifesta est, quia in iis,

P p 2 quæ

quæ iustè præcipiuntur, parere subditi debent: cuiusmodi est lex de pensione necessaria ad Principis, & reip. conservationem. Materiam enim qualitas peccatum grave, aut leve facit. Vnde in magna quantitate defraudantes graviter peccant contra iustitiam, & tenentur ad restitutionem, quæ ad modum vicissim teneretur Princeps, si iniuste acciperet tributum. Si quis restituere nolit, absolvens non est, secundum Armillam. *V. Gabella nu. 6. Zerola Par. 1. eod. n. 2. Silv. V. Gabella. 111. nu. 21. & alios sum. communiter. Imò oppositam opinionem errorem vocat Castrius.*

V. Tributatio transitus per pontem nemo solvere tenetur, nisi petantur. Ita Lud. Lopez c. 37. §. 2. dico, citans Merinam, & Corduban. Idem Angelus tenet *V. Pedagogium. n. 3. Henr. Gandav. quodl. 3. p. 22. Tabiena V. Pedagogium n. 9. citati à Sanch. l. 2. Consil. 4. Dub. 1. n. 5.* quasi Univeris negent, tributa ante Iudicis sententiam persolvenda esse: quod Angelus non dicit, sed tunc præstanda negat, cum exactores non laborant pro communi utilitate. V. g. reficiendo muros, & sim. Rationem dat Lopez, quia durissimum est obligare advenas ad sciendum huiusmodi statuta: cui repono, scite omnes, in genere saltem, exigi solere portorium maxime propter equos, & currus, à quib. sensim viæ deteriorantur. Harum igitur conservatio, & reparatio, cum iustam causam præbeat exigendi vectigal, non licet viatoribus illud negare. Sed efficax ratio foret, si de intentione Principis constaret. Si enim quod valde existimò probabile, non intendit, nisi temporale subsidium capere, & negantes poenâ coercere, statutum illius non conscientias ligat, sed crumenas flagellat: ita

ut præcisè propter non solum pedagogii viator non peccet. Est simul attendendū ad loci consuetudinem, & sensum communem incolarum, ex quo & tacito Principis consensu in utramvis partem sumi coniectura poterit. *V. Sanch. l. 2. c. 4. D. 10.*

VI. Obligatio solvendi tributum cessat *Primò*, quando causa exigendi nulla, aut iniusta est. Patet ex n. 3. supra, & per se evidens videtur. Vbi enim nulla causa, nullus effectus. *l. Generaliter. C. de ep. & cler. Secundò*, quādo subditus verè dubitat de iure, vel facto tributi. Cū enim exactio hæc diosa sit, nõ est urgenda contra *Reg. 15. Iuris in 6. Odis restringi* & nec in qualtionibus, lucri contra cives fisco patrocinandum est. *l. Non puto ff. de iure fisci.* Exciipiunt aliqui antiqua tributa, quorum initia memoriam hominũ excedunt: sed non ad rē. Hæc enim non plus obligant, quàm nova legitime imposta, sed vetustate sua, & præiudicio obstant, ne dubitemus. *V. Sanch. l. 2. Consil. c. 6. Tertio* quando non præstatur ab exactoribus id, cuius gratia petuntur. V. g. portæ, viæ, muri, non reficiuntur, debita contracta non solvuntur, milites nõ aluntur, & simil. Verus verbum est. Frangenti fidem fides frangatur eidē. *l. Eum qui. ff. de inoff. test. l. qui fidem. ff. de transact. V. Comit. l. 4. q. 35. Soro l. 3. p. 6. n. 7. c. fin. Silv. III. n. 21.* citans Angelum, qui dicat, negari tributum posse, quamvis non constet in eum finem impostũ esse: item quamvis pro loco & tempore in illis reparandis laboretur. Quod *Silvestro* quidem non placet, defendi tamen posset admissa præsumptione, quod pecunia in talem finem cõgesta nunquam plenè adhibeatur, sed ex ingenti acervo alia multum diversa à Dy-

à Dynastis comparentur. Limita 1. si non sit reparatio, quæ nondum indiget. 2. Si in aliam publicam utilitatem pecunia applicetur. *Sanch. l. cit. dub. 8. ci. fi. Quarto* quãdo per tributi exhibitionem periculum sit honoris, & æstimationis, v. gr. ut quicumque ex plebe est, nullã generis nobilitate insignis pendat in portã vel portu 3. denarios. Tum dico, nisi petatur, non opus est solvere: quia nemo tenetur prodere suam ignobilitatem: & hoc in usu sic observari existimatur à *Lud. Lopez. c. 36. ci. fin.* Monet verò *Sily. l. cit.* unumquemque teneri ratione mendacii, perjurii, & scandalii. Pro confessariis addit *num. 29.* ut in dubio ante factum semper prohibeant fraudationem gabellarum; post factum autem non cogant ad restituendum, tum quæ in pari causã turpitudinis potior est causa possidentis, tum quia exponerent se periculo surripiendi ab isto, quod suum est. *V. Facinacium par. 7. de furtis. q. 72. n. 52.*

VII. In confirmationem dictorum, & benignioris sententiæ addo §. 6. *Eman. Sa in V. Gabella.* Gabellam absque vi, & fraude non solvere, aut etiam postea non restituere, non esse mortale, docti viri asserunt. Ego id in totum affirmare non aulin: sed neque in dubio eos, qui prædicto modo non solverunt, ad restitutionem obligari. Communis quidem sententia asserit, teneri subditos solvere iustas Gabellas, cui standum; nisi in particulari consuetudo legitima aliud obtineat. Eiusdem generis est *Bonacina Afferio Tom. 2. p. 452. n. 5.* Fraudantes vectigalia imposita pro usualibus probabiliter excusari possunt à peccato mortali, & obligatione restitutionis. Sic enim vide-

tur usu, & consuetudine receptum: quia per exactionem horum vectigalium subditi plus iusto gravantur. Quin etiam compensationi locus est, ut qui in præstando non iustè tributo damnum passus est, tantundem demat, de eo, quod iustè exigitur. Quod etiam licet, cum pro rebus usualibus, seu ad vitæ, & familiaris curam necessariis cogitur dare gabellam. *Molm. tract. 2. D. 674. Comitol. l. 4. q. 35. ci. fin. Sanch. l. 2. c. 14. dub. 44.* Sed hic oritur

VIII. Dubium, an consuetudine induci possit, ut vectigal solvatur ex rebus usualibus, quas quisque pro suo, suorumque necessitate comparat? Non posse multi tenent apud *Sanchez. l. cit. D. 44. & Dian. par. 2. tract. 17. Resp. 28.* Sed nihil, quod contrariam opinionem evertat, in medium proferunt. Durum videtur, sed non propterea iniquum. Dico igitur, ejusmodi consuetudinem induci posse. Consuetudinis enim non minor, quàm ipsarum legum vis est. *l. de quibus ff. de leg.* At lege constitui potest ex rebus usualibus tributum. *Navar. c. 17. n. 202. Antonin. part. 2. tit. 1. c. 13. Gabr. in 4. Dist. 15. q. 5. art. 2. Sily. III. q. 5. Rosella V. Pedagogium n. 6. Azor. III. l. 5. c. 21.* Verùm notatu dignum est, quod *Sanch. l. cit. addit n. 7.* quia talis consuetudo est contra jus, rationi naturali valdè consonum, adeoque ad justitiam illius urgentissima causa requiratur, non esse de facili scrupulum ingerendum defraudantibus ejusmodi vectigalia pro rebus ad usum vitæ necessariis imposita; sed tunc primùm cum de eorum justitia constat. *Driedo de libert. Christianã l. 2. c. 5. Anto. à Corduba in Summã q. 95. dub. 2. Sily. III. q. 5. Molm. tract. 2. D. 669.*

Benac. Tom. 2. p. 451. n. 5. Valent. III. Diss. 5. q. 6. pun. 5. Lestus. c. 13. D. 7. Anto. Peregr. in. de iure Fisc. l. 6. tit. 5. Suarez. l. 5. de leg. c. 16. Azor. II. l. 5. c. 21. Laym. l. 3. tract. 3. c. 3. Comitol. l. 4. q. 33. Zerola par. 1. V. Gabella. n. 2. qui addit, defraudantes ad restitutionem teneri Gabellottis: sed ad pœnam non teneri ante condemnationem & latam sententiam. Quod in aliis etiam delictis locum habet juxta ea, quæ dixi. in Prologom. § 8.

§. II.

Qui, quibus imperare tributum possint.

I. **I**mponere tributum possunt illi, qui in suis terris plenam obtinent potestatem, nullumque in temporalibus superiorem agnoscunt, cujusmodi est Imperator, Reges, nonnulli Principes, & Civitates, modo nihil obstat. *c. super quibusdam de verb. sign. Nam Hispaniæ Regibus, quamvis absolutam potestatem habere videantur, nova vectigalia non aliter indicere licet, quam si comitis ex more vocatis, regni procuratores, & tribuni plebis approbent: quod in aliis quoque regis fieri potest, cum valde rationi consentaneum sit, gravia onera non imponere in vitis. Iason. l. placent. n. 10. de Sacros. Eccles. Sanch. l. 1. c. Consil. c. 4. Dub. 2. Barb. in c. Innovamus de cens. & in Prætermiss. p. 235.*

II. Hisce omnibus cum imperare vectigal aliquid vel tributum volunt, attendendum est 1. ut justa causa sit, puta, non privata Regis commoditas, vel etiam libido, sed bonum commune. Ubi tamen non excludo necessitatem in familia, & persona Regis. Huic enim v.g.

capto, vel oppresso omnimodè subveniendum est. Quot vero sint causæ justæ imponendi nova vectigalia enumerat. *Lud. Lopez c. 36. quæst. 3. quem vide 2. attendendum, ut debita forma servetur; hæc autem in triplici proportione consistit 1. proportio est tributi ad necessitatem, pro qua exigitur. 2. ad rempubl. & subditos ne nimium graventur. 3. inter ipsos Cives, ut secundum uniuscujusque facultates plus minusve solvant, non aquantur inopes divitibus, sed secundum mensuram fortunæ sit quantitas Gabellæ. Si autem imponatur mercibus, absque omni personarum acceptatione & differentia, reddatur *Bar in c. cum Apost. de censib. Cajet in V. Vect. Arm. in V. Gabell. n. 12. Sanch. l. cit. D. 2. n. 9. Fill. Tr. 16. n. 17. Laym. l. 3. tr. 3. c. 3. Tol. l. 5. c. 75.**

III. idem jus habent Reges non Christiani, imponendi videlicet tributa quibuscumque in Regno suo negotiantibus, aut transentibus etiam Christianis. Scio multos contrarium asserere, aliquos etiam distinguere inter eos, qui justè & qui injustè regnum obtinent: sed absque sufficiente fundamento. Causa enim tributi si justa sit, omnium respectu justa est, & juri naturali consona, fundata in contractu *Facio, ut des*, id est. Res vias & portus custodit, pericula & damna exterorum cavet, securitatem promittit, & indemnitate: ita tamen ut tu de mercibus illatis, & eatenus conservatis certum aliquid solvas. Nec opus est alio consensu Viatorum, quam virtuali, & præsumpto, cum nemo justam causam habeat contradicendi, pacto aut conventioni modò explicatæ. *V. Ang. Silv. & ad summ. apud Sanch. l. cit. dub. 5. Ferdin. ab Efferen. in Manuali*

Manuali polit. l. 3. pun. 9. Tholosan. 3. Syntag. c. 3. & seq. & l. 3. de Rep. c. 4. Addit Barb. in c. ex speciali de heret. Christianos locare Judæis reditus, & vectigalia posse, ita tamen, ut Princeps deputet aliquem Christianum qui exigat. Nav. Conf. l. 9. 23. n. 58. Guier. de Gabell. q. 132. n. 5.

IV. *Bulle C. D. § sextus est. Excommunicamus omnes, qui in terris suis nova pedagja seu Gabellas, præterquam à casibus sibi à jure, seu ex speciali Sedis Apostolicæ licentiâ permissis imponunt, vel augent, seu imponi, & augeri prohibita exigunt. Hinc deducuntur plura corollaria. Primum est, excommunicari omnes & singulos Magistratus, qui injustas Gabellas indicunt, vel augent. Secundum, si etiam justas imponant vel exigant à Clericis & Religiosis, quia id in casibus prohibitis fit. Tertium, Metros exactores quoque eodem jure comprehendunt. E contra non excommunicantur hoc §. 1. qui mandant, aut consulunt nova vectigalia imponi. 2. qui olim impositas & aliquo tempore intermissas de novo exigunt. 3. qui invadunt Viatores & pecuniam extorquent fingentes, se publicanos esse, cum ad furum & prædonum classem pertineant. 4. Communitas quæ tumlibet contra venire videatur. S. P. mandato, non incurrit excommunicationem in ullo casu c. Romana de sent. excomm. si tamen in illa peccent singuli, si gillatim excommunicationi subjacebunt. Nav. c. 27. Silv. V. excomm. VII. n. 19. Aug. Rosell. cod. Bon. c. 11. D. 1. q. 6. p. 3. Filh. tract. 16. c. 5. n. 105. Azor. III. l. 5. c. 119.*

V. Nulli Episcopo aut Prelato licet tributum vel censum Ecclesiæ sibi subjectæ propria auctoritate imponere; aut veterē

censum augere c. prohibemus de censibus. Dixi propria auctoritate, quia bonorum Ecclesiasticorum non sunt domini, sed dispensatores tantum. Navar. c. non liceat de spol. Cler. § 3. Poterunt autem, quando Capitulum & Ecclesia consentit, & causa justa subest. c. 1. de reb. Eccl. non alien. & c. 1. de ver. permut. c. Tuo nos de ju. patr. c. Pastor. de is, qua sunt à Præl. & c. prohib. de Censib. Vbi Barb. notat intelligi de censu perpetuo, qui duret etiam post mortem possessoris: non perpetuos autem indici posse servatis conditionibus ante memoratis, nemini dubium est. V. Barb. in c. ut super de reb. Eccl. alien.

VI. Neque Clericis beneficiatis licet redditibus suis pro arbitrio censum imponere, vel admittere: quod de mobilibus, & immobilibus alicui bene intelligunt. Bonac. de Contract. disp. 3. q. 4. Azor. III. l. 10. c. 7. q. 5. & à Rot. à Rom. sæpius ita decisum esse Barb. testatur in c. Prohibemus, limitans simul, ut intelligatur respectu præjudicii Ecclesiæ, & non ipsius Clerici, qui jure suo cedere potest, dum vivit, onere cum vitâ ipsius defuturo.

VII. Quod miserabiles personas attingat puta, cæcos, claudos, leprosos, & similes, ab obligatione tributorum quoad extraordinaria omnino solvit Ostiens. arg. cap. Judicatum D. 89. Melius Silv. V. n. 5. à personalibus semper liberos, ab ordinariis nunquam, ab extraordinariis pro arbitrio, & discretionem Magistratus liberos pronunciat: idemque juris esse de iis, qui morbo perpetuo laborant. c. licet. de censib. Verè pauperes res ipsa & propria professio eximit. Abb. Innoc. Io. Andr. Ananias. Ostiens. Anchar. Barb. in c. cit. licet. Sanchez. l. 2. c. 14. D. 15. Tholos. l. 3. c. 3.

VIII. Prin-

VIII. Principum ac civitatum legati non solent tributum aut vectigal pendere de rebus, quas in usum suum deferunt: neque scholaris, officialis, vel Judex, ex libris ad studium aut officium suum necessariis. *l. Vniversi C. de Vectigal. Azor. III. l. 5. c. 20.*

§. III.

De quibus rebus exigendum, & solvendum Tributum sit.

I. Quando pro rebus, quæ comparantur aliquo pacto, inferuntur, vel efferuntur, impositum est tributum, jure communi, non comprehendit res ad proprios vitæ usus necessarias. *l. Vniversi l. omnium C. de Vectig.* ubi statuitur vectigalia exigenda tantum pro rebus, vel ex rebus mercimonii causa delatis. Et ratio hoc postulat. Aliàs, qui pauperiores sunt, plus pendunt, quia divites. Hi enim, quia aliunde habent victualia, parum, vel etiam nihil in foro emunt. Dixi jure communi, quia si statuta particularia, & consuetudines attendimus, contrarium ferè ubique usu receptum est. *Azor. III. l. 5. c. 21. Soto l. 3. q. 6. ar. fin.*

II. Ubi subditis deficit lucrum, Magistratui perit tributum. Non solvitur enim (jure communi) 1. de rebus propter necessitatem famis in urbem delatis. *Barthol. in l. 1. C. de nautico fan.* 2. de iis, quæ in exercitum, vel ad fiscum deferuntur. *l. Licitatio. §. Res, quæ exercitui ff. de publicanis l. Vniversi C. de vectig.* 3. de iis, quæ vi tempestatis, vel metu piratarum in portum recipiuntur. *l. fin. §. si propter necess. ff. de publicanis. Anton. Peregrinus de Jure Fisci l. 6. et. 5. n. 23.*

III. Quia vectigalium exactio inter odiosa computatur, quantum fieri potest, vitanda extensio, & verborum proprietati inhærendum est. *juxta Reg. odia vestigi 15. de Reg. Jur. in 6.* Ac proinde, cum de frumento petitur, non dabitur de farina, cum de lapillis pretiosis, excipientur margaritæ; cum de animalibus, non venient gallinæ, columbæ, & sim. Idem juris in alia quacunque materia servabitur. *Azor. l. cit. Barthol. in l. fin. §. species ff. de publican.*

IV. Quod contractus attinet, quia non nisi rebus venditis, & permutatis indicitur vectigal, aut tributum. *l. Vniversi l. omnium rer. C. de Vectigalibus.* Simili cautione dispiciendum est, ut non extendatur ad alia pacta, vel acta: sed quæcunque conventio sub genere venditionis, & emptionis non comprehenditur, ab onere tributi libera esse censetur. Hujus generis est, donatio, etiam debiti loco facta. 2. transactio. 3. Cessio bonorum. 4. Mutuum. 5. Emphyteusis. 6. Redemptio census. 7. Contractus innominati, qui ad emptionem & venditionem non reducuntur. 8. Adjudicatio bonorum creditori. 9. venditio coacta, & invalida. 10. venditio rerum pro expiatione animæ. 11. Contractus dotis. 12. Divisio hereditatis. Ex omnibus his, jure communi non debetur gabella, aut tributum. An verò particularibus statutis, vel moribus antiquatum sit, prudentis est, inquirere. *V. Sanch. l. 2. Confil. c. 4. Dub. 17. & seqq.*

V. Quando onus solvendi tributum alicui rei legitime & stabiliter annexum est, ad quamcumque manum devenerit, etiam Ecclesiasticam, illud solvet non obstantibus quibuscumque privilegiis. *Gloss. in c. Sancitum. de censib. Abb. in c. ex*

litteris

Literis de vi. & hon. Cler. n. 12. & c. non minus de immun. n. 15. Archid. in c. 1. de imm. Felinus in c. Ecclesia S. Mariae de consir. num. 17. Angel. V. Immunitas. num. 36. Sylv. 1. qua. 5. eod. Molin. tract. 2. disp. 4. 56. Suar. l. 4. Con. errer. Anglic. c. 20. Reginald. l. 9. num. 380. Fill. Tr. 16. c. 21. Laym. l. 4. tract. 9. c. 6. Soto. l. 9. q. 4. art. 4. Malder. in 22. tract. 5. t. 6. dub. 9. Barb. in c. non minus. de immun. Eccles. V. Vadingus tract. de contract. D. 9. d. 4. §. 3. Est enim in utroque jure receptum, quod unaquæque res cum onere suo transeat, & mutet Dominum suum, maneatque illi servituti obnoxia, donec ab aliquo servatore liberetur. c. Pastoralis c. Cum non sit de Decimis c. ex literis de pignoribus l. si convenerit. §. si fundus ff. de pignoribus i. a. actione. Hinc S. Ambrosius in Orat. de tradendis Basilicis. Agri, inquit, Ecclesiae solvunt tributum. Agri scilicet, quos Ecclesiae pii & munifici homines donaverant; & ex quibus Imperatori Vectigal, & Tributum pendere solebant, c. si tributum XI. q. 1. & Urbanus Papa in c. Tributum 23. q. 8. De exterioribus Ecclesiae, quod constitutum antiquitus est, pro pace, & quiete, quæ nos tueri, & defendere debent, Imperatoribus persolvendum est. De eadem obligatione extat. l. de his Clericis c. de Episc. & Cler. quam confirmatam esse à Jure Canonico ex citatis capitibus docet Azor. III. l. 5. c. 19. q. 8. §. quarto.

DIXI si stabiliter annexum est onus tributum. Nam de novo onere quod pro occurrenti necessitate prædiis imponeret Princeps secularis, dubia quaestio est, quæ Barolus tractans in l. rescriptio §. fin. ff. de mun. & honorib. & l. fin. C. de exact. optimum consilium ait esse, ut Principes onerent collectis omnia prædia intra territo-

rium constituta, si velint etiam Ecclesias obligari in posterum ad collectas: & sic fecisse Eugubinos, & Perusinos, cum viderent Ecclesias plurimum ditari, & collectas minui. Verùm hoc Bartoli consilium alii DD. contrauiter reprobant, uti Ecclesiae juribus, & libertati iniquum. Numerum Doctorum more suo Barbos. exhibet in c. non minus de immun. Eccles. ex quo consensum habemus contra Bartolum de omnimoda à Gabellis exemptione honorum secularium, quæ per donationem, emptionem, aliove modo ad Clericos perveniunt, quia per mutationem personæ seu Domini mutatur qualitas inhærens rei ratione personæ. l. locato. §. fiscus de publican. & vectigalib. l. per procuratorem §. 9. ff. de acquir. hered. Card. Lugo disp. 36. num. 109. Bellarm. l. 1. de Clericis c. 28. Tholos. de Rep. l. 3. c. 7. Comitol. l. 1. q. 94. Reginald. l. 9. c. 25. Tanner. de libert. Eccl. c. 13. Piafec. part. 2. c. 4. n. 58. & qua dix. part. 1. tit. 1. §. 4. Less. c. 33. D. 3. num. 23. Em. Sa. V. Clericus. n. 18.

§. IV.

Satisfit objectionibus, de Tributis.

DUB. I. An consuetudine acquiri possit Jus imponendi & exigendi Tributa? Negant aliqui cum Castro l. 1. de le. pæn. c. 21. coroll. 2. Nam si quo jure id liceret, maximè capitis super quibusdam §. propterea de verb. sign. Verùm in eo loco non agitur de potestate imperandi nova tributa, sed exigendi vetera. Ad Summum igitur postremum hoc consuetudine acquiri poterit. Adde quod inter Principum regalia vectigalium imponendo

nendorum potestas computatur, à quibus in alio traduci non debet. *l. 3. C. de vectigal. Mynsing. l. 5. obs. 29.* Nihilominus.

Resp. Jus imponendi & exigendi tributa, gabellas, vectigalia & sim. consuetudine legitimâ induci & obtineri posse. Ita plurimi apud *Barbos.* nominati in *Prætermiff. ad c. super quibusd. & Sylv. V. Gabella §. 4. n. 7.* Eadem namque consuetudinis, & Legum potentia est: adeoque pro lege acceptatur, & servatur. *l. de quibus ff. de leg. l. Diuturna. & l. Imò ibid.* Quod verò citatum *c. super quibusd.* attinet, revera loquitur non tantum de exigentibus, sed etiam imponentibus vectigalia. Unde *Caiet. in Summa* post alios meritò cum *Papa*, & *Regibus* annumerat consuetudinem, quæ tributa imperare & exigere queat. *Sanchez. D. 4. Mynsing lo. cit. Iul. clarus §. fin. q. 29.*

Dub. 2. Utrum in aliqua necessitate Clericis Tributum imperari queat?

Resp. Quatuor casus numerantur, in quibus etiam Principi sæculari à Clericis exigere liceat tributum, & invitos cogere ad id præstandum. *Primus est*, cum urget periculum damni communis, nec Laicorum contributio ad remedium sufficit, ut si *Urbs* ab hostibus circum obsidione prematur. *c. pervenit. de immun. Eccl.* Necessitas enim neque legem habet, neque ferias. *l. 1. ff. de off. proconsul. l. 1. §. sane ff. de feriis.* Neque in tali eventu quicquam operantur privilegia verbis generalibus concessa, quia necessitas prævalet, quæ modum *Barb.* quoque in *c. pervenit. supra citato.* agnoscit, qui tamen non per Laicum Magistratum, sed per Episcopum compelli vult Clericos.

Secundus casus est causa boni commu-

nis, quæ æqualiter Laicos & Clericos concernit, ut pro ponte, fonte, murorum reparatione, quod bonum pro communale vocatur. *l. si divina domus C. de exactor. tribut. l. ad portas. C. de operib. publ. A. 20. III. l. 5. c. 19.*

Tertius casus est, cum Clericus bona quædam emit & vendit negotiationis causâ, captando scilicet lucrum *c. quamquam de censibus in 6.* & communiter agnoscunt DD. apud *Barb. in citato c.* Non censentur autem negotiari, quando deferunt, aut vendunt redditus, & fructus suorum beneficiorum, eaque propter de iis nullum vectigal debent. *Molin. tract. 2. disp. 672. Piasec. part. 2. c. 4. pag. 328. A. 20. III. l. 5. c. 19. quest. 5. Zypaus de Jurisdic. Eccl. l. 3. c. 9. num. 25.*

Quartus casus est, quando Laicis indicta contributio, dum extenditur ad Clericos, parum & paucis noceret per accidens: ut si *Republ.* in necessitate habeat jus imponendi collectam, in vini designatis tabernis; nec fieri posset exposita collectio, nisi omnes sine discrimine, etiam nobiles, aut Clerici sponte contribuant, qui ejus tabernæ vino sponte uti volunt. *Alii casus* qui in particularibus materiis occurrere possunt, doctorum, ac prudentum virorum arbitrio relinquuntur. Ita terè *Henriquez l. 10. c. 15.* subjungens *num. 6.* probabilius videri, bona Clericorum exempta esse à tributo sæculari per jus Canon, aut privilegia PP. nec licere cuiquam sæculari Principi, aut Judici cogere Clericum ad contributionem in prædictis casibus: nisi quia idem jus, aut Pontifex concedit expressè, aut tacitè: tacitam verò concessionem colligent viri prudentes ex bonis rationibus.

nibus, & conjecturis, quæ planè suadeant, eam esse intentionem Pontificis. Eadem cautela, (ut absque consensu Summi Pontificis non onerentur tributis Clerici) à Franc. Leone in thes. eod. part. 1. c. 9. num. 33. Guterrio l. 1. quest. 3. num. 6. & Piascio commendatur part. 2. c. 4. n. 58. Ubi addit. Si ageretur de privatâ utilitate Clerici, vel esset periculum in morâ, etiam non expectato Sedis Apostolicæ assensu fieri posse. Ad extremum si Ecclesia, vel Clericus obtineat feudum à Laico, teneri ad omnia onera, quæ rationi feudi debentur, & cogi posse per Dominum feudi ad illorum præstationem. Innoc. in c. verum de fo. comp. Off. in Summâ h. t. n. 7. Guido Papa Decis 78. Zypaus. de Jurisd. Eccl. l. 3. c. 9. & 11. Less. c. 33. D. 3 n. 23. & seq. Mald. de Inst. tr. 5. c. 6. Bugo l. 2. D. 36. Sect. 8.

Dub. 3. An omnes Clerici à jugo tributorum liberi & exempti sint?

R. 1. Clerici conjugati non sunt à prædicto jugo liberi, neque jure Canonico, neque consuetudine, ut dix. in par. 1. Tit. 16. 5. & Cov. l. 1. tr. 99 c. 31. n. 9. Less. notat. l. cit. Dub. 5. Illis enim non nisi Canonis, & fori privilegium conceditur. c. un. de Cler. conjugatis. n. 6. eâ lege tamen, ut unicam, & Virginem duxerint; præterea tonsurâ, & habitum Clericalem deferant: quibus à Con. Tr. S. 23. c. 6. Additur, ut, si privilegio fori gaudere velint, ab Episcopo alicujus Ecclesiæ ministerio sint deputati. V. Zypaum l. 3. de Jurisd. Eccl. c. 15.

Resp. 2. Primæ tonsuræ tantum & minorum Ordinum Clerici, nullo beneficio affecti, nec alicujus Ecclesiæ ministerio addicti, etiam cœlibes jam firmata, & approbata consuetudine videntur amississe privilegium non solvendi tributum. & vectigal. Ita post Molin. tr. 2. D. 671. Less.

c. 33. D. 5. non alia quam Covarr. auctoritate, l. pract. 99. c. 31. n. 9. qui tamen non dicit amissum illud privilegium esse, neque contrariam consuetudinem invaluisse, sed consuetudinem in hisce negotiis multum posse: visasque à se literas regias non semel ad hoc decretas, ut Clerici etiam non conjugati cogantur solvere decimam partem pretii, quo res proprias etiam seclusas mercimonii, & negotiationis causa vendiderint. Ex quibus illud solum colligitur, in Hispania contra jus commune prævaluisse Regis voluntatem, non verò confirmatam, & approbatam à Summo Pontifice consuetudinem esse: quamvis minimè negarim alicubi esse, ideoque huic cedendum, ubi reperta fuerit. Zypaus l. cit. n. 4. & c. 17. n. 1. Lugo disp. 36. n. 102. Ergo, inferis, simili modo per consuetudinem contrariam privari poterunt privilegio fori, ut ad Judicem sæcularem trahantur. Factum id, aut futurum aliquando Less. negat, neque Ecclesiam consensuram: quia magis per hoc dignitas status Ecclesiastici læderetur, & Principibus nihil commodi accederet. Certè immunitatem Ecclesiasticam, omni modo conservatam velle, & sicubi læsa, restitutam sartamque, satis indicant PP. Conc. Tr. sess. 25. c. 20.

R. 3. Clerici sacrorum Ordinum, beneficiarii, & omnes Religiosi à freno tributum omnimodè censentur liberi. Ita communiter DD. apud citatos. Nec in obscuro ratio est. Illi enim Ecclesiastico ordini stabiliter accensi sunt, muneribus Ecclesiasticis funguntur, & Ecclesiæ serviunt, pro temporalibus commodis spiritualia, quæ majoris pretii sunt, omnibus procurant. V. Lugo Disp. 36. n. 101.

Qq. 2

Dub. 4.

DVB. 4. An consuetudine immemoriali tributorum solvendorum necessitati subici Clerus possit? Certum est, sacros canones tam personas ecclesiæ, quam res, & bona immunia velle, neque consuetudinem ullam etiam immemoriam agnoscere, qua subiciantur laicæ potestati, ut cum aliis fusè probat *Everardus consil. 42. nu. 48.* nihilominus non licet inde firmum argumentum ducere, quòd in nullo casu aliter fieri queat. Generalia enim non specialibus non præiudicant: imò per hæc illis derogari ad *Reg. Jur. in 6. trices. quar. nuper ostendimus.* Hinc *Zypaus l. 3. de iurisd. eccl. c. 17. ci. fin.* immemoriam consuetudinem agnoscit, timidè tamen. Si, *inquit,* paulò ulterius progrediatur, ad imponenda ea onera, quæ iure Civili Iustiniano imponi solebant, non mox omnibus ita diris devoram esse censendam, ut **Canones, & Bulla Cœnæ generatim sonat: præsertim hoc tempore, atque ubi agitur de bello sacro, & similibus causis. Ita Zyp. Igitur.**

R. posse. Si quid enim obstaret, maxime contraria voluntas summorum Pontificum sacris canonibus inserta. Hæc autem quia Generalis est, nunquam excludit particulares eventus. neque ipsi naturæ, & necessitati inevitabili censetur resistere. Posita igitur per tempus immemoriam consuetudine solvendi tributum, non carere assensu Pontificis rationabiliter præsumimus. Adest, dico, consensus, quia debet adesse, nec potest quisquam illi se rationabiliter opponere. Aliter tamen fieri, & aliter sentiendi causam præoptarim. *l. Inbemus. C. de sacros. eccles. Alexand. in l. si ex toto ff. de leg. 1. & Consil. 27. nu. 10. Vol. 1. & Consil. 108 nu. 16. Vol. eod. Gaill.*

l. 2. Observ. 52. & 5. 3. VVadingius Tr. de Contract. D. 9. dub 8 § 2.

DVB. 5. Virum à Iudice sæculari ad solvendum tributum alias debitum cogi possint ecclesiasticæ personæ.

Affirmant multi recentiores apud *Dianam 10. 1. tr. 2. Resol. 41. Sanch. l. 2. Consil. c. 8. D. 55. & Card. Lugo Disp. 36. nu. 131.* ita tamè, ut sæcularis Iudex non procedat contra personam, sed solum contra bona clericum. Sed Sacris canonibus cõformior est negativa opinio. Ex illis enim manifestè colligimus, nullam Iudici Ecclesiastico potestatem competere, vel in bona ipsorum, vel personas. *c. Non minus c. Adversus de immun. eccl. Clem. Quoniam. de immun. eccl. nu. 8. Clem. 1. de Vita & honest. Clericorum. V. quæ in Par. 1. pro libertate clericor. attulimus tr. 1. §. 5. nu. 7.* Quod *Card. Lugo. l. cit.* extendit etiam ad casum, quo clericus ex negotiatione debet tributum, vel propter negotiationem post trinam admonitionem perdit privilegium solvendi tributum ex aliis bonis, quamvis alii DD. repugnent. *Az. 111 l. 5. c. 19. Q. 14. Sanch. l. 2. c. 4. D. 55 n. 31. quin 33. addit. si peric. mag. in mora sit, & Iudex eccl. recuset, aut plus æquo differat, auctoritate Iudicis sæcularis occupari bona clericorum posse pro rata onerum.*

DVB. 6. Quando & quomodo clericorum exemptio indirectè lædatur per frænum tributum.

R. Dijudicandum hoc esse ex conditione rei, circumstantiis, & intentione imperantis tributum, quæ ex prædictis colligi potest. Tunc ergò indirectè tributum clericis imponitur, quando Magistratus, præcipit laicis tributum dare ex rebus, quibus clerici utuntur, eâ intentione, ut

inde

inde graventur clerici, saltem ex consequenti, aut concomitanter. Exemplum Lugo suppeditat. Titius mercator libros ecclesiasticos vanales habet, puta, Missalia, Gradualia, Antiphonalia, Breviaria, Diurnalia, & his sim. & quia Soli ecclesiastici ac Religiosi illos empturi sunt, maius vetigal à Principe exigitur. Unde fit, ut pretium librorum à mercatore augeatur; itaque ex consequenti graventur emptores plures emendo. In aliis libris cessat præsumptio, licet non repugnet, ut eadem intentione moveatur Princeps ad augendam tributum mensuram.

Idem aliis modis contingere potest, ut si negata licentia clericis imperandi tributum ex redditibus beneficiorum suorum Magistratus alia media arripiat, quibus assequatur finem suum. V. g. Princeps ad se trahit ius vendendi vinum, oleum, aut simile quid, quorum usus clericis necessarius est, & charius solito vendit, ut plus solvere cogantur ecclesiastici, quam antea fiebat. Item quando à laico venditore ideò plus exigitur, quia clericus emit, ut eo augmento compensetur defectus ex immunitate clericis causatus. In his, & similibus peccate contra iustitiam Principes tributum exactores, & obligari ex eo ad restitutionem cum aliis docet *Cardin. Lugo To. 11. de iustitia disp. 36. Sect. 9 n. 138. & seq. Azor 111. l. 5 c. 19.*

DVB. 7 An pro necessitate temporali Episcopus indicere Clericis tributum possit?

R. posse, cum subest iusta, rationabilis, ac manifesta causa, qualis est solutio debitorum, recuperatio, castrorum, agrorum, aliorumque bonorum ecclesie, acquisitio aliorum ad utilitatem: Item si impensæ re-

quiruntur in adventu Imperatoris, aut Regis, si adeundus Pontifex, vel Concilium Generale, & his sim. *c. Cum Apostolus de Censib.* ubi, nomine tributum, & exactiois prætermissio at velut improbatum Auxilium moderatum, vocatur: unde Interpretes sumperunt nomen *Subsidii charitativi*. Zypæus etiam ex Voce *postulare* quo utitur in *cit. c. Pontifex Alexand. III.* deducit non posse imperare episcopum, & graviter impingere in canones, qui tallias & exactiones faciunt. Igitur, concludit, charitativum subsidium, ut nomini suo respondeat, benignè, & suaviter petendum est, tanquam auxilium pro necessitate, non pro auctoritate tanquam debitum, eaque postulatio inferioribus episcopo non permittitur. *S. Archidiaconus* verò ibid. *Glo. in V. Exactiones*, nisi forte consuetudine obtinuerint. Ita *Zyp. l. 3. c. 18.* At *Piascius in Par. 2. c. 5. n. 24.* concedit episcopo ex beneficio, quod confert, partem pro necessitate sua decerpere posse: pensionem quoque conferendo beneficio imponere, dummodò faciat ex iusta causa, ut propter bonum pacis, extinguendam litem, quando beneficium est litigiosum, vel ut subveniatur seni pro sustentatione. *Sec. Laym. l. 4. Tr. 2. c. 18. Andr. Vallens. l. 4. de benef. eccles. 2. n. 4.*

DVB. 8. Quale peccatum sit Clericis tributum iniuste imponere, & exigere?

Esse Sacrilegium pronunciat *Fill. Tr. 24. c. 9. nu. 230.* quia fit contra immunitatem clericis concessam in *c. Non minus. & c. Adversus de immun. eccl.* Et licet non videatur esse circa personam, sed circa bona clerici, tamen intercedit sacrilegium contra personam, quia fit contra immunitatem eius, & exercetur circa ipsum

Qq 3 pote-

potestas quædam dominativa proportionalis iurisdictioni, & tamen persona illa in honorem ecclesiasticum, & religiosum exempta est à potestate laicali. Si accedat violentia ipsi personæ adhibita, duplex Sacrilegii species erit, una Canonis, altera Bullæ C. D. Ita Fill. asperius, fortè quàm verius *Angelus enim in V. Sacrilegium & Silv. eod. & V. Immunitas nu. 14.* læsionem quæ fit in bonis mobilibus, vel immobilibus clericorum absque violatione personæ non nisi improprie, seu largo

modo sacrilegium esse docent. *c. Quisquis 17. Q. 4. Nec obstat c. Qui rapit pecuniam,* ubi Sacrilegium facere dicitur, qui pecuniam, vel res ecclesiæ abstulerit. Nam quod hic sacrilegium, in *c. Qui Christi & c. Qui abstulerit 12. Q. 2.* homicidium appellatur, improprie nimirum, seu largiore modo, uti Glo. indicat. Vnde sequitur iniustam tributi exactionem furtam aut rapinam esse, restitutioni obnoxiam, *V. Az. l. l. 9. c. 27. Laym. l. 4. Tr. 10. c. 7. n. 15.*

TITULUS IV.

De Testamentis.

Non Reip. modò, & civium, sed ecclesiæ, & sacrorum hominum permagni interest, ultimarum voluntatù dispositione, executionemq; ritè fieri, propter innumeras lites & iurgia, quæ immodicæ cupiditates adferre solent. *C. ad leg. Cornel. de falsis* Valere ultimam voluntatem suam discedentes volunt eandem pervertete improbi. Crescit opibus audacia, iustitiam calliditas opprimit. Non hæres, sed impostor succedit. Multis igitur cum civilibus, tum ecclesiasticis legibus ultimarum voluntatum fida executio communita est, ut ex dicendis patebit. Non possumus autem nisi per viam civitatis ad Ecclesiæ limen pervenire, nec propria sine communibus explicare.

V. Oldendorp. Tract. de exec. ultim. volunt. Tit. I.

* *
*

§. I.

Testamenti Conditio & Varietas.

I. **Q**uadruplex est ultimæ voluntatis species. Testamentum, Codicillus, Donatio causa mortis, & epistola Venerabilis. Huius hoc tempore nullus usus est. De donatione mortis causa superius egimus. Superest Testamentum, & Codicillus cum annexis. Testamentum, à refectione mentis nostræ sic appellatum, est *Voluntatis nostræ iusta sententia de eo, quod quis post mortem suam fieri velit. Inst. h. t. l. 1. ff. Qui testam. fas. poss. Dicitur 1. iusta sententia voluntatis nostræ id est, dispositio legitima, seu iuri conformis, interpres voluntatis nostræ. Atque ita convenit cum contractibus inter vivos. 2. De eo, quod quis post mortem suam & c.* quia quælibet ultima